

111.  
QVOD BENE VERTAT!

DE

FIDE  
HISTORICA,

EXERCITATIO GRADUALIS,

Quam cum consensu ampliss. Facult. Philos.

ABOËNS.

PRÆSIDE,

V. Cl.

DN. ALGOTHO A.  
SCARIN,

Histor. & Philosoph. Civ. PROFESS. Reg. & Ord.

Publice recitandam sistit

GERHARDUS P. HÄLLBENQVIST  
OSTROBOTNIENSIS.

Ad diem XV. Junii, Anni MDCCXLVIII.

loco horisque conuertetis.

---

ABOË, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

G. Mau Eörner



APHORISMUS I.

**Q**uod de ceteris literarum studiis judicant alii, non temere ullum adeo infestum ingeniis extitisse ævum, ut eadem barbaries opprimere potuerit: Idem de *historia*, qui in illo doctrinæ genere plane non hospes est, multo magis pronunciare potest, quod adeo illa nunquam cesserit barbariei, ut non impetum ejus sustinuerit, fide & virtute sua eluserit, & demum in triumphum duxerit.

APHOR. II.

**H**istoria per notitiam rerum singularium, quarum memoriam conservari in vita humana utile sit, non incommode definitur.

APH. III.



**A**quivocationis non uni generi substat vocabulum *FIDEI*. Quatenus fundamentum est justitiæ, quæ in foro divino & humano valet, *Theologicam* & *Juridicam* omnino dari fidem manifestum est. In illo, quo nos nunc versamur stadio, per *fidem* historicam intelligimus assensum rebus in historiæ enarratis datum, præcipue vero auctoritatem & vim demonstrativam, quæ ex historicorum testimonio non minus quam historiæ scriptoris præsumta cognitione veracitateque dependet; eam quam vel præcipuum momentum conferre dixerimus, ut relationi historicæ assensum suum tuto accommodare quis & possit & velit.

**F**undamentum & firmamentum, adeoque anima omnis historiæ *VERITAS*

*RITAS* est. Illam sicut ex ipsa argu-  
menti tractatione indagare & determi-  
nare ingenio usuque pollens quisque  
non difficulter potest: ita ad officium  
*historici* pertinere censendum est quam  
maxime, ne quid falsi dicere audeat,  
neque quid veri sit, proferre non au-  
deat (a).

(a) *Cicer. libr. II. de Oratore.*

*APHOR. V.*

**A**D fidem historicam h. e. solidam &  
certam rerum in historia memo-  
randarum cognitionem earundemque  
sinceram expositionem requiritur *revela-*  
*tio*, *curiositas* & demum *testimoniorum*, quæ  
ab aliis decerpuntur, consensus & inge-  
nuitas.

*APHOR. VI.*

**A**D fidem *revelationi* Sacræ tribuen-  
dam, intellectus hominis per sum-  
mam



mam Dei veracitatem movetur; voluntatemque ad acquiescendum iis, quæ in scriptura prodita sunt, permovet fancitum in res creatas imperium divinum, inter primas, quas docet ratio, notiones omnino referendum.

APHOR. VII.

**D**escripsit Moses origines rerum & quæ cetera recens nati orbis fuisse memorabilia, quæ multo ante, quam ipse nasceretur, acciderunt; ratione, utpote Spiritus sancti testimonio, sufficientissime instructus. Illam vero immemorialis præscriptionis fidem quisque eminus aut cominus, directe aut indirecte labefactare aggressus fuerit, næ ille historiam vult Cyclopi non dissimilem reipublicæ, in qua ἀνάει οὐδεὶς οὐδ'εν οὐδεὶς.

APHOR. VIII.

**I**nterim cum auctores in expositione rerum

rerum gestarum per ingenii ruditatem alii, iterum per dexteritatis defectum multi, plures per malitiam, seculis incultioribus illis, res fallaces pro veris & germanis obtrudere nil pensi haberint, necessum est, ut qui ex peregrinatione historica non falsam spem pro re certa domum referre velit, sedulo attendat, quid probabiliter verum, & quodnam probabiliter falsum appareat in relatione historiarum. In omni ergo fide humana & probabilitate historica sequentes omnino sunt observandæ circumstantiæ: Primo attendendum est ad testem sive personam, quæ factum aliquod narrat. Inde ad rem ipsam, quæ refertur, & ultimo demum, ad ipsum, quem quisque auctor ingressus fuerit rei narrandæ modum (a).

APH. IX.

(a) Baumjeist, Log. S. 414.



**I**sta ad animum vocata & rite perpen-  
 sa re, quorum interest cavere &  
 providere debent, ne quæ *historica* au-  
 dit, indiscreta & *carbonaria* fides evadat.  
 Ad illam enim, quam requirimus, pu-  
 ta moralem certitudinem, non sufficit  
 rei dicendæ series & lectio sola, ne-  
 que opinio, quam audiens & legens de  
 scientia & veracitate auctoris animo  
 conceptam habet, ea quæ probabilem  
 vix fidem gignunt; sed oportet ita ra-  
 tiones, sub quibus & propter quas fi-  
 des sit accommodanda, in planum de-  
 ducantur, ut non qui nunc sunt homi-  
 nes promiscue modo, sed ventura se-  
 cula etiam justam vim demonstrandi  
 iisdem inesse capiant & comprehendant.

**P**robationem *historicam*, quæ cum  
 mo-

morali coincidit, ad demonstrandam  
 rei alicujus existentiam, ad illum certi-  
 tudinis gradum, quæ *physica* inest, æ-  
 gre assurgere posse, non præter rem  
 multi urgere solent, e. g. igni vim  
 inesse calefactivam certius quis scire  
 potest, quam ante plus centum an-  
 nos *GUSTAVUM ADOLPHUM Sueciæ* re-  
 gem exstitisse, qui Germaniam ma-  
 numiserit. Non negamus exemplo  
 posterius allato eum non inesse evi-  
 dentix gradum, ut aliter se habere  
*impossibile* omnino foret. Interim cum  
 dentur res, quæ ratione essentialium  
 & naturalium partium, aliis quam  
 moralibus argumentis probari neque  
 possunt neque debent, qui scriptorum  
 omnis memoriæ & loci unanimem  
 vocem mentemque sine verisimilitu-  
 dine rejecerit, eundem, ut mollissime  
 dicam



dicam, obstinationis præposterae notam ægre effugere posse putaverim,

APHOR. XI.

**H**istoriam *naturalem* activæ philosophiæ solidam & æternam basin esse, cognitionisqve evidentia in illo studii genere primam *accensionem præbere*, *VERULAMIUS* agnoscit. Sed cum in ordine ad illum finem, non nisi doctorum virorum suffragationibus & præjudicatis opinionibus etiamnum multa inibi sint superstructa; neque aliter res esse possit, quamdiu in diversitate corporum efformanda elementorum conjugationes & conjugandi processus altius adhuc latent: eos certe, qui ad particularia naturæ phænomena non satis explorata, historiæ universæ auctoritatem, sine suffragio, vocant, non historicum & philosophum

phum palam modo miscere, sed & civitatis magnæ hujus, quæ Dei hominumque audit, si non condita, saltem providentissime constituta & conservata historiam arctioribus, quam par est, cancellis includere; verbo: ad ea labefactanda, quæ pie hæcenus recteque tradita sunt, viam affectare, non e longinquo apparet.

APHOR. XII.

**F**idem & assensum antequam adfero historici cujuscumque tribuerimus, jam ante persuasissimi esse debemus, quod a partium studio prorsus immunis sit; non præpostero mentis errore, quæ sui egerint omnia laudi duxerit, neque odio & invidia stimulatus consilia & facta exterorum objurgatione intempestiva sæpe perstrinxerit. ( a ) Non enim ille fide dignus est historicus,



qui pessimam causam eorum, quibus bene cupit, optime agit, optimam vero aliorum, praestigiarum genere quocunque confundere sustinet. ( b ) Sin vero convicti simus, quod persona narrans omnes circumstantias scire potuerit & verum quoque dicere voluerit, in illius dictis & adsertis tuto magis lectorem securiusque acquiescere posse putamus.

( a ) Commune ferè hoc est cum pictoribus vitium historicorum, ut cum formam animi excellentium virorum exprimere velint, non suis sed adscitiis lineamentis saepe effigiem locupletent & distinguant. Quisquis autem vel ignarus rerum mentitur historiam, aut sciens rem aliter sese habere, falsa pro veris narrando posteritatem decipere intendit, eidem adeo non fidem historicam esse tribuendam movent, qui de historia scribenda agunt, ut inter mendaces numerandum esse, universi potius consentiant. In illam vero classem, venalis lingua historicum

utrumque, qui Gallico & Germanico idiomate herois & regis magnanimi CAROLI XII. nostratis memoriam rerum gestarum paulo ante vitiarunt, non immerito referimus. Tumultuarie scriptas eorum historias quisquis introspexerit, sinceritatem & candorem non injuriâ requiret, livorem vero, gloriæ comitem magnificè semet effluentem non longe videbit.

(b) Miltonum in sua populî Anglicani defensione pessimam causam optime egisse, quis cum Conringio non sentit & agnoscit?

APHOR. XIII.

**E**T si certitudinem eorum, quæ publice gesta sunt, puta integrarum gentium, & eorum, qui civium communitates repræsentant, negare in genere haud possumus; Interim cum non paucis historicis circumstantias, occasiones & causas factorum fingere identidem ex ingenio sit solemne; immo inter illos probatissimi quoque secreta & arcanas rei alicujus publice gestæ



gestæ circumstantias adferre soleant, de quibus tamen constat, quod iisdem perspectæ neutiquam esse potuerint: remanet Marte non nisi incerto & ancipiti causam suam agere illam historiam, inter spem metumque suspendi lectoris fidem, ejusque rem probe sciendi pernoscendique frustrari expectationem (c).

(c) *Hollmanni introd. in univers. Phil. S. CCCXXV.*

APHOR. XIV.

**D**Vplex datur in rebus historicis probabilitas, altera scriptoris vel auctoris, altera rei gestæ seu facti ipsius. Quod si contingat, ut pragmatica doctrina & prudentia instructus ille sit omnigena, idemque parti vel sectæ temere nulli addictus vel obstrictus vivat; quin, cum *re gesta* ita quove

que comparatum sit, ut illius indolem jam ante eventus ipse quasi propatulo loco constituerit: nihil impedit, quominus exprimere verum ipse & potuerit & voluerit. Certe de religione & fide hominis bene existimare oportet quemque bonum, donec probetur contrarium.

APHOR. XV.

**C**VM nullius humanæ historiæ fides & auctoritas majorem, quam humanam polliceri possit certitudinem, ab humanitate alienum judicare illi sunt censendi, qui si in circumstantia facti una alterave, non ipsa rei narrandæ summa, fallat historicus, candorem & sinceritatem historici eundem non amplius tueri posse dicunt. Nos cum fieri facile posse noverimus, ut credulitate quantulacunque deceptus quis

non



17  
non satis comperta pro veris vendi-  
tet, facta a potiori denominatione,  
historici nomen & omen tueri posse  
putamus omnem, qui non dedita o-  
pera posteritatem decipere intendat.  
Illum quisquis scopum, puta ludifi-  
candi, sibi proposuerit, nomine histo-  
rici indignus ipse erit, & quas extru-  
dit merces, quæ inter nugas venales  
referantur, dignissimas esse, nisi cui  
meridie lucere non visum fuerit, o-  
mnis agnoscit.

APHOR. XVI.

**D**iversi cum scopo congruunt scri-  
ptores, inque una re proferen-  
da, superstitione nulla, neque a-  
moris & invidiæ stimulis ullis a tra-  
mite dimoveri senserimus: Illorum ad-  
serta & relata solidum sui agnoscere  
fundamentum, & ad certitudinem, quæ  
scien-

Scientificam audit, propius accedere, est  
 censendum.

APHOR. XVII.

**S**I res gestas coram intueri, ipsisque  
 bellis & rebus gerendis, ipsum  
 bonæ fidei scriptorem interesse contin-  
 gat, tutior ipsi fides est habenda, quam  
 si per famam & vagam aliorum rela-  
 tionem, notitiam sibi eandem compa-  
 raverit.

APHOR. XVIII.

**M**Ajori fulcitur veracitate, proba-  
 biliusque est censendum testi-  
 monium auctorum coævorum, quam  
 illorum, qui sequentibus seculis floru-  
 erunt. Etenim illi, per famam, quæ  
 læpissime tam ficti praviqve tenax est,  
 quam nuncia veri, decepti a veritatis  
 tramite in transversum facillime defle-  
 ctere possunt.



**C**Avendum ne unicuique scripturæ vel relationi historiæ fidem adhibeamus, præsertim cum auctorum solertiam integritatemque animi perspectam non habemus. Nihil enim fingi potest ineptius, quam omnia illa, quæ vel dicuntur vel scribuntur vel typis excusa offeruntur, velut ex tripode dicta pro veris agnoscere, iisdemque temere assentiri.

**F**Actum quodcumque *notorium*, hoc est, evidentissime notum fuerit, ita ut nulla tergiversatione celari vel negari possit, quatenus in plurium oculos sensusque, quos deceptos esse nemo sanus dixerit, incurrit: illud, nisi qui Pyrrhonis philosophiam de  
**C** omni-

omnibus nil decernendi, acceptaverit, in dubium non facile vocabit quisquam.

APHOR. XXI.

**Q**Vandoquidem orationem & scripturam non aliter quam ceteros actus voluntarios distingvit *intentio*, ad fidem historię derogandam an vero conciliandam plurimum conferre eandem, penitus & omnino existimandum. Semper advertendum est, qua intentione quid litteris consignatum sit. Illam vero ceu actum animi nostri immanentem, cum cognoscere & dijudicare nemo possit, nisi *circum dentium*, ut sonat proverbium, egrediatur, ex signis minime fallentibus eandem investigare oportet. Nunquam non enim auctoris intentio ex ipsa relatione



tione vel scriptura statim innotescit; interdum tamen difficulter, præcipue vero iis, qui levi tantum attentione uti solent, intentio sese prodit. Præsertim si contingat, ut fabulæ formam induat historia, personis fictis actiones & res gestæ tribuantur, aut dum res vere gestæ cum fictis miscentur, ex levi momento illo, ad credulitatem quis adduci facile potest. In illam classem utrum quis, jure ne an injuria, referre possit καλλωπισμόν ingeniosissimæ Argenidis, me melius alii judicent. Tales scriptores poeticam atque pictoriam sibi sumere licentiam, & si fabulis suis nullum moralis aut civilis prudentiæ temperamentum immisceant, ingenii & diligentæ plus quam veritatis, immo vitiatam ma-

gis, quam genuinam rerum gestarum memoriam prodere, qui veris pretiis quolibet aestimare norunt, non longe vident (a).

(a) In historica narratione nuda & simplicia saltem comparere debent; cum contra quæ ad ornatum sive oratorium sive poeticum comparata sunt, in modum vestimenti per multa volumina diffusi veritatem occultissimè prodant, ita ut non nisi agere quisquam eandem perspicere & discernere possit.

APHOR. XXII.

**I**Dentidem hominis rudis & impoliti testimonium, majori gaudet probabilitate quam eruditi & prudentis. Etenim qui altiori gaudet perspicendi virtute, visis e longinquo consequentiis, quibus nonnunquam exposita esse solet dicendi libertas,

in



in præjudicium veritatis silentio multa de industria involvit. In ejusmodi casu, homini simplici, verba in factum ingenue temperanti, adeoque gestæ rei momenta tantum non omnia, saltem præcipua, una cum consecutionibus suis, fideliter narranti tutius creditur.

*APHOR. XXIII.*

**U**trum sicut fabularum intextura varia veritatem corrumpere dici solet poeta, ita illi quoque, qui diplomata contractus & cetera acta publica historicæ narrationi integra inserunt, fines historicæ migrare dicendi sint, in utramque partem differi solet. Sunt qui summam documentorum, uti vulgo dici solent, & verba formalia retineri volunt, in quibus vel præcipuum

um momentum inesse videri potest. Integra inserere juridicum magis esse, quam ad historiam pertinere putant. Sed cum fieri crebro soleat, ut quæ in archivis latent acta publica, eadem livor, incendium & nescio quæ non sinistra fors auferre, abolere, sæpiuscule etiam corrumpere soleat, ex authenticis fideliter descripta documenta, præcipue in quibus rei cardo versatur, historicæ narrationis seriei inseri, & tanquam in archivum & custodiam generis humani redigi omnino debere existimamus (a).

(a) *Qua falsitate, saltem suspitione illius, seculis Pontificiis, cum archivis principum clerici præessent, diplomata fuerint implicata, palam notum est. Immo non curiam Romanam modo sed & exterorum principum aulas*



contagio illa invasit, infatuavit. Quin, ne  
 nostra historia fundum illa calamitas premeret,  
 annales ecclesie Sveogothicæ suæ OERNHIEL  
 MLLS documentis semper originariis, ex char-  
 tophylacio regio desumptis, fidem historicam suam  
 munivit. quo nomine in bibliothecâ historica  
 sua gravissimum Auctorem SIRUVIUS  
 non uno in loco commendat.

APHOR. XXIV.

**F**ides historica ad doctrinam & de-  
 monstrationem (§. 16) hisque  
 mediantibus ad cognitionem non sin-  
 gularium rerum modo, sed & univer-  
 salium ordinatur. Scilicet ex singu-  
 laribus, si homogenea fuerint, non  
 difficulter propositio universalis excul-  
 pitur, quæ ad conclusiones in indivi-  
 duo alias iterum eruendas mox inser-  
 vit. Ad illam vero singularium noti-  
 tiam, aut si dicere mavis experien-  
 tiam

tiam cum adscendere nemo possit sine historia ejusque non perplexa fide: artium & scientiarum, præcipue vero practicarum, sive ad superius sive inferius hemisphærium pertineant, principium esse historiam, per se patet.

SOLI DEO GLORIA.

